

mus et tertius Consultores). Non placet 2 (secundus et quartus Consultores). Ergo textus manet sicuti est.

3) an loco « assumatur » melius sit dicere « nominetur, praesentetur, aut eligatur »: Placet 4 (secundus, tertius et primus Consultores ac Secretarius Ad.);

Non placet 1 (quartus Consultor).

Ergo mutatio probata est et ideo textus § 2 hoc modo sonat: « Officiis ecclesiasticis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa ».

Rev. mus secundus Consultor rem adhuc considerans aliquam difficultatem habet circa locutionem « magis idoneus » quae, pro ipso, difficultatem creare potest, etiam in casu collationis necessariae, quandonam dari potest casus collegium electorum eligat virum qui non sit magis idoneus et proinde Ordinarius declaret electionem non ad normam canonum peactam fuisse.

Negant possibilitatem hanc in casu Rev. mi tertius ac primus Consultores et Secretarius Ad. Non instat Rev. mus secundus Consultor.

Quoad § 3:

Etiam hic, notat Rev. mus Secretarius Ad., mutata est dictio praecedens « iure communi » cum « iure universali » propter rationes superius allatas.

Disceptatione praehabita, loco « secus valida est », claritatis causa dicitur « si non expresse ad validitatem exigantur, valida est... ». Placet.

Quaerit Rev. mus quartus Consultor an omitti possint verba « per sententiam iudicis »; negant alii affirmantes semper admitti debere etiam viam iudicalem.

Canon 5 (CIC 150): qui fit canon 8

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit.

§ 2. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Quoad § 1:

Cum sufficienter disputatum sit in priori coetu, notat Rev. mus Secretarius Ad., de officio quod primo constituitur et ideo non est vacans, textus potest manere sicuti est, addita tamen — proponente Rev. mo primo Consultore — clausula « firma § 2 ».

Quoad § 2:

In § 2, noviter inducenda, providendum est provisioni officii quod ad tempus determinatum confertur, ita ut prius quam vacans sit procedi possit ad electionem.

Textus § 2, noviter inducendae, hic est: « Quod si agatur de officio quod de iure ad tempus determinatum confertur, provisio non nisi a sex mensibus ante expletum hoc tempus fieri potest, et effectum habet expleto hoc tempore ».

Placet.

Quoad § 3 (olim 2): placet.

Canon 6 (CIC 151): qui fit canon 9

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Placet.

Art. I - DE LIBERA COLLATIONE

Canon 7 (CIC 152): qui fit can. 12

Loci Ordinarii, excluso tamen Vicario generali et Vicario episcopali sine speciali mandato, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio, nisi aliud iure caveatur.

Post canones generales de provisione officii ecclesiastici qui pro omni provisionis forma valent gressus fit ad varios modos officia providendi et primo agendum est, notat Rev. mus Secretarius Ad., de libera collatione.

Hoc canone, notat Rev. mus Secretarius Ad., affirmatur generalis praesumptio semper in favorem liberae collationis, et, idem Rev. mus Dominus, ut maiorem vim textus acquirat, proponit ut dicatur: « Nisi aliud expresse iure statuatur, loci Ordinarii, exclusis tamen, nisi speciale habeatur mandatum, Vicario generali et Vicario episcopali, est libera collatione... ».

Placet.

Canon 8 (CIC 154): qui fit canon 5

Officium quod curam animarum in foro sive externo sive interno secumfert, clerico sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvo praescriptis can... (de officiis quae a diaconis impleri valent).

Cum haec, quae in hoc canone continentur, pro omnibus modis provisionis valeant, et non tantum pro libera collatione, Rev.mus Secretarius Ad. proponit illum transferre inter canones generales de officii provisione, ita ut fiat canon 5. Textus remanet sicuti est.

Placet.

Canon 9 (CIC 155): qui fit canon 6

Officii provisio, cui nullus terminus fuerit lege speciali praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia, firmo tamen praescripto can. 458.

Cum norma haec valeat non tantum pro libera collatione, sed etiam pro aliis formis provisionis, uti ex.gr.pro praesentatione, ut ordo logicus magis habeatur, canon in parte generali huius capituli transfertur et fit can. 6, demptis verbis «firmo tamen praescripto can. 458» ex propositione Rev.mi Secretarii Ad., quia res postea in coetu de Sacra Hierarchia considerabitur, etiam ex eo quod ille canon 458 non est norma iuridica. Placet.

Canon 10 (CIC 156): qui fit can. 7

§ 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 188, n. 3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo quod iam possidet, irrita est, nisi in litteris collationis mentio fiat prioris, aut clausula adiiciatur derogatoria.

Quoad § 1:

Em.mus Praeses declarat verbum «incompatibilis», ratione linguae latinae, non bene sonare et melius dici «communiter adimpleri nequit». Negant Rev.mi Secretarius Ad. et tertius Consultor cum pro ipsis nihil significet. Animadvertit Rev.mus secundus Consultor de terminologia technica agi, quae etiam in iure civili est recepta. Res manet uti est.

Quoad § 2:

Rev.mus quartus Consultor tenet in § 1 normam absolutam dari, quae in § 2 deletur per concessionem derogationis.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut omittantur verba «aut clausula adiiciatur derogatoria», quae tantum adhiberi potest ab illo qui potestatem superiorem habet; et si in textu dicitur «nisi...» Episcopo possibi-

litem derogandi confertur. Derogare enim, notat Rev.mus secundus Consultor, idem est ac legem tollere, dum hic ageretur tantum de dispensatione pro casibus specialibus.

Negant Rev.mi Secretarius Ad., primus et tertius Consultores, quia hic agitur de iure constitutionali et agitur de vera derogatione quae a Supremo Legislatore fit, et qui hanc facultatem Episcopo concedit. Ideo facultatem hanc Episcopus a iure obtinet.

Instat insuper Rev.mus secundus Consultor ut in hac § loco «nisi clausula adiiciatur...» dicatur, cum can. 37 CIC «nisi aliud ex appositis clausulis appareat». Sed contradicunt alii, cum eadem sit res.

Rev.mus Secretarius Ad., ut textus maiorem vim acquirat, proponit quod verba «in litteris collationis mentio fiat prioris» expungantur. Affirmative respondent Rev.mi primus ac tertius Consultores et Secretarius Ad.; negative Rev.mi secundus et quartus Consultores.

Res probatur maiortate suffragiorum.

Etiam hic canon transfertur, rationibus supra allatis, in partem generalem, et fit canon 7.

Canon 11 (CIC 157): qui fit canon 13

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut decretum tulit, valide conferri suis aut resignantis consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

Placet.

Canon 12 (CIC 158): qui fit canon 10

Qui alterum negligentem vel impeditum supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius conditio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset (Aut: Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert...).

Ratione latinitatis, secunda, quae in textu proponitur formula, seligitur, nempe «Qui vicem alterius...». Tollatur insuper comma post «acquirat».

Cum canon normam contineat quae etiam pro collatione necessaria valeat, in partem generalem transfertur et ideo fit can. 10.

Placet.